PRÆSIDE DEO
T. O. M.

ΚΑΘΑΡΤΟΛΟΓΙΑ

AUTORITATE ATQUE DECRETO
Nobiliſsimi, Ampliſsimi, atq; Gratioſiſsimi
COLLEGII MEDICI.
Univerſitatis Argentinenſis celeberrimæ,
PRO
Honoribus & Privilegiis DOCTORALIBUS
ritè conſequendis
DISPUTATIONE INAUGURALI
ad
SOLENNEM CENSURAM EXHIBITA
à
JOHANNE CAROLO HAMMERER,
Argentinenſi

Ad Diem 11. Menſ. Januarij.

ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANN.

ANNO M. DC. LXIX.

S. L.

VEniam dabis, Lector Amice, ſi, quæ hîc exhibeo, concinnè minùs atque accuratè forſan, quàm pro Diſputatione Inaugurali æquum erat, propoſuerim. Ea etenim ob iter aliquod propediem ſuſcipiendum temporis mihi fuit anguſtia, ut tum ad utriusque Examinis præparationem, tum ad conſcriptionem Diſſertationis hujus mihi non licuerit de eâ altiùs cogitare. Ea inſuper propoſiti Thematis eſt difficultas: ut etiam ex artis noſtræ Proceribus vix duo reperiantur in omnibus ſibi conſentientes. Quare, à re tam ſpinosâ, plurimisque difficultatum involucris implicitâ abſterreri potuiſſem, niſi animum revocaſſet hujus materiei neceſſitas utilitasque, quam *Galenus l. de Purg. med. fac.* abunde promittit. Statutum itaque eſt de Purgandi ratione quædam proferre in apertum, certâ ſpe fretus Candidum Lectorem non in malam partem interpretaturum, ſed potiùs ubi in re plena diſſenſionis & omninò controversâ hæſitavero, placide me admoniturum. Cæterum, quò omnia bonâ procedant methodo libet *primò Onomatologiam* proponere, deinde *Definitionem*. 3. *Differentias* examinare. 4. *Indicans* Purgationis perveſtigare. 5. Quid *ANTE*, quid *IN*, quid *POST* purgationem faciendum ſit, oſtendere. Tandem, quid ad quæſtiones & controverſias quæ hac de materiâ inter doctos agitari ſolent, reſpondendum ſit, pauciſſimis explicare. DEUS annuat auſo, idque felix fauſtumque velit!

Etymologia. Dicitur ergò Καθαρτολογία ἐτυμολόγως, ἀπὸ τοῦ καθαίρειν καὶ λέγω, *ratio quaſi, ſeu modus purgandi*, adeò quòd illi, qui pharmacis utuntur, repurgari videantur atque liberari à ſarcinâ quâ premebantur ante: *Gal. l. de purg. med. fac. & alibi, hanc affert rationem, quòd ſcil. ſanguinem, à vitioſis humoribus purum conſtituant pharmaca.* Alii à καθαιρέω everto, ſubverto, demolior &c.

Synonymia §. 2. Συνωνύμως ſonat ipſe purgandi actus, *Græcis*, κάθαρσις, καθαρμὸς, φαρμακεία: *Latinis*, Purgatio, Vacuatio per alvum vel vomitum: *Germanis*, **reinigung deß Leibs/ oder außführung der Materi.**

Ipſum verò medicamentum *purgans* φάρμακον, καθαρτικὸν, medicina, medicamentum, **Purgatz.**

Ὁμωνυμία. §. 3. Ὁμωνύμως & quidem *extra forum Medicum*, denotat purgatio *vel quamvis mundationem* ut apud *Ovid. 1. de Pont. El. 9.*

Nec dubitem longis purgare ligonibus arva

& 4. *Faſt.*

Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli
Excoquit, idcirco cum duce purgat oves

Vel Excuſationem ut *Cic. l. 1. Attic.*

Quintus frater purgat ſe mihi per literas

& *pro Sexto Roſcio*

Servos ipſos neque arguo, neque purgo

Vel etiam *de rationibus* dicitur, quando deciduntur ſuperflua. *Item* de *Oblectatione*: ut merulæ & perdices annuum faſtidium purgant lauri folio *Plin. l. 8. c. 27.*

In ipsâ arte verò ſumitur, vel Generaliter *pro quâvis vacuatione, quæ fit vel per alvum, vel urinam, vel ſudores, Gal. l. 5. ſimpl. cap. 20. pro καταμηνίοις A. 60. & 61. ſ. 5. γυναικείοις. A. 28. ſ. 5. ſeu purgationibus menſtruis, λοχίοις item & purgamentis puerperii l. 1. de morb. mul. Hipp.* Vel Specialiter *&* κατ᾽ ἐξοχὴν, cùm de *ſolâ*, ut nobis, *vacuatione, quæ fit vel per vomitum, & Hippoc. A. 4. ſect. 12. 17. & 18. ſ. 4.* ἄνω φαρμακείη: *& 13. ejusdem* ἄνω κάθαρσις: *vel per alvum, & A. 25. ſ. 2.* κάτω κάθαρσις: *& 20. ſ. 4.* κάτω φαρμακείη *appellatur*, accipitur.

§. 6. Ipſius *purgantis*, ſignificatio etiam eſt vel *Generalis*, de omni-

bus

bus medicamentis quæ vel caput, ut ἀποφλεγματίζοντα, Errhina: vel thoracem, ut becchica: vel aliam quamvis corporis partem, excrementis liberant, vel *Specialis & ab*ſolutè ſic dicta, quæ ea tantùm, quæ certum quendam atque determinatum humorem, vi peculiari per alvum & vomitum educunt, comprehendit. *Galen. l. 5. de ſimpl. med. fac. cap. 20. & Clar. Sennert. l. 5. Inſtit. p. 1. ſ. 1. cap. 11.* his ita præmiſſis, Definitioni jam inquirendæ incumbimus.

Definitio.

§.5. Definit autem *Galenus ad Aph. Hippoc. 2. ſect. 1. & 17. ſ. 2.* Purgationem per *Vacuationem humorum, qualitate moleſtantium: Duncanus Liddelius l. 5. art. med. cap. 12.* addit, *factam à naturâ, vi & operâ pharmacorum catharticorum, eo fine exhibitorum, ut ſanitas præſens conſervetur, vel amiſſa reſtituatur:* hìc *Generis* loco adeſt Vacuatio à *Fernel. meth. med. l. 2. cap. 1. dicta, quòd ſit eorum, quæ præter naturam in corpore continentur, expulſio: Differentiam* facit qualitas humorum peccantium, ſeu ipſæ potiùs ſpecies, formæ atque ideæ humorum, à ſanguine diſtinctorum, qui vel in, vel extra venas conſiſtunt, ſanguinemque inquinant, κακοχυμία uno verbo: quæ non niſi purgatione & neque diæta ante, neque levioribus remediis auferri, vel ad priſtinam bonitatem potuit reduci: *Duncanus Lidd.* omnibus tandem numeris abſolvit, dum inſuper cauſas apponit, adeò, ut cùm nihil ipſi deeſſe videamus, meritò cum aliis artis Proceribus etiam ſubſcribamus: Reliquum tantùm eſt, ut *quomodo à naturâ vi & operâ pharmacorum catharticorum fiat:* aperiamus etiam, ſi prius ſaltem quid alii de actione purgantium ſentiant, paucis præmiſerimus: tot autem hic reperiuntur ſententiæ, quot ferè ſcriptorũ, ſiquidem *nonnullos* videas, *qui ſolo tractu, beneficio tantùm cathartici caloris, operari pharmaca autument,* neſcii tamen, quòd non omnia quæ calida ſunt, purgent, nec quòd omnia quæ purgant, calida ſint, vel ideò ratio dari non poſſit, cur non indiſcriminatim, ſed hos potiùs, quàm illos educant purgantia humores.

Quomodo fiat Purgatio?

An trahendo tantùm beneficio caloris?

§.6. *Alij* deinde ſint, qui *nequaquam provenire* ſtatuant, *à virtute pharmaci trahente, ſed pellendo vacuare tantùm, ita, ut poſtquam purgantia naturæ vel mordacitate ſuâ, eâque vel manifeſtâ, vel occultâ, vel humores qualitatibus ſuis inimicis, moleſti cœperint eſſe, facultatem expultricem demum, ad excretionem ſtimulent atque ſollicitent:* uti *Jac. Schegkius* & *Eraſtus l. de occult. med. multis probare rationibus, & ex Gal. l. 3. ſimpl. c. ult. & l. de dignot. & curat. affect. ren. c. 4. demonſtrare conantur:* Sed neq; obſervant.

An pellendo tantùm?

Galenum loc. all. non ſolùm, non excludere vim attractricem pharmaci, ſed apertè etiam ad *Aph. 22. ſect. 1. l. de purg. med. fac.* & alibi docere, non *expellente naturâ* tantùm, ſed & *trahente pharmaco,* purgari corpus: *non ὤσει ſolâ, ſed additâ ἕλξει purgationem abſolvi:* Evolvant enim quæ *l. 2. de Elem.* ſub finem habet, & aliter de *Galeno* ſentient: *neque etiam* quod rationes attinet, *attendunt*, nihil ipſos inde concludere, quàm quòd catharticis vis aliqua inſit ſtimulandi naturam, quæ irritata noxios humores poſtea exturbet, quam nos quidem libenter concedimus, ſed totum purgationis actum *ſolâ* compleri *irritatione*, atque perfici *ὤσει*, eſt quod inficiamur: Quî enim fieret, quod hoc vel illud purgans illum vel hunc humorem ſpecialiter educeret, ſi ſola hîc irritatio ſatisfaceret, fruſtra profectò quivis catharticorum delectui ſtudebit amplius, cùm omnia quæ ſtimulandi potentia prædita ſunt, ut cæpæ ſunt, allium, naſturtium raph. ruſt. &c. verè purgatura inde concludet, quod utrumque tamen tam contra experientiam, quàm ipſum & *Eraſtum* litigat.

An ex ἀντιπαθείᾳ & fugando fiat?

§. 7. *Quidam* cum *Jouberto* utrumque negant, & ex merâ *ἀντιπαθείᾳ* fugandoque fieri dicunt purgandi modum: de quibus *maximè Venerandus Senex noſter Vir incomparabilis Dn. D. Sebizius, Præceptor noſter obſervanti animo omni ætate proſequendus, Diſp. de Purg.* 11. *Q.* 4. ita ferè loquitur: *Placitum hoc multas patitur difficultates & conſequentias infert falſiſſimas:* ideòque diſputat:

Ea, inter quæ naturalis eſt ἀντιπάθεια, eorum alterum ad alterum ſeſe minimè promovet, ſed alterum ita fugat alterum, ut ubi fugans eſt, fugatum eſſe nequeat.

At contrarium plane evenit aſſumto cathartico, cùm humores vitioſi ad locum purgantium ventric. ſcil. & inteſt. etiam à diſtantiſſimis locis ruunt.

E. nulla videtur ipſis ineſſe ἀντιπάθεια.

Vel 2. Si ἀντιπαθικῶς agerent cathartica in humores moleſtantes, nullus ampliùs revulſioni locus eſſet.

Sed falſum eſt Conſeq. E. & antec.

3. *Si ἀντιπάθεια purgantium ſtimulus eſſet, illam vel ad omnes, vel ad hunc vel illum exercerent tantùm humorem. Sed neque ad omnes, cùm unicum aliàs utcunque ſufficeret purgans, neque ad hunc vel illum tantùm, cùm contrarium appareat in ὑπερκαθάρσει E.*

Alias

Alias quidem adhuc addit rationes quæ videri poſſunt loc. citat.

§.8. *Aſclepiades* omninò deviat, & ideò apud *Galenum de elem. l. 2. c. 3. & l. de purg. med. fac. & illo ad Piſonem*, reprehenſiones, abſurdaq; incurrit plurima, quando docet, *illos, qui educuntur, humores, poſt aſſumtum pharmacum generari demùm in corpore, & converti in naturam purgantis ſimilem, ſtimulatâque inde facultate expultrice, expelli tandem à naturâ* : Sed quis ſanæ mentis, *inquit Galenus, crediderit, tam ſubitò quàm medicamentum corpus attigerit, humoris, qui excernetur, ſubſtantiam generari? Quis contra non facilè ſibi perſuaſerit, humores hoſce prius quoque ſecundùm naturam corporibus ineſſe? cùm videat, arquato morbo laborantem, eo tempore, quo medicamentum, bilioſum humorem purgans cepit, & bilem ſubitò copioſam excernere, & affectu expeditè liberari? Eum verò qui aquâ inter cutem affligitur, neutiquàm medicamento quodam ſimul ac fuerit aſſumtum, omnem aquam ventriculo inſidentem, citò admodum vacuare, atque ex tam ſubitâ vacuatione nullum ſanè humorem, aut certè pauciſſimum, in particulis infarctum habere.*

An humores in naturam pharmaci conversi, expellantur?

§.9. *Eraſiſtratus*, haud melius rem explicat, dum opinatur, *ita vacuari à purgante humores, ut primò tenuiores, modò craſſiores, demum craſſiſſimi ſuccedant, idque ex metu vacui, nulla trahendi vi naturæ* : Sed itidem *adverſatur experientia*, quæ ſanguinem, tenuiorem tamen melancholiâ, non niſi inter poſtrema, ut dilectum naturæ filium in ὑστερηκαδάρσει prodire oſtendit, *& αὐτοψία docet*, alios quandoque, ante ſerum vacuari humores, pro cujusvis natura medicamenti, & *nigram bilem evacuantibus pauca ſemper excrementa dejici, ac nigram bilem ſtatim inter initia exire, teſtatur Gal. l. de purg. med. fac.* imò *exanimari prius* melancholicum neceſſe eſſet, quàm ad cauſam morbi perveniretur, & omnes fore incurabiles ſequeretur inde hypochondriacos. *Galenus loco citato* objicit, *ſi ita velit, nihil amplius intereſſe, ſive quis medicamentem ſumat purgans, ſive V. ſecare faciat, quia utroque vacuationis genere omnes ita humores educentur, & κακοχύμοις ad extirpandam κακοχυμίαν æquè V. S. Plethoricis verò ad demendam plenitudinem purgationem præſcribi poſſe*, quod tamen eſt abſurdum & *Galenus plurimis exemplis* refutat : *Refragatur* denique authoritati *Hipp. qui A. 2. & ultimo S. 1. Si qualia oportet purgari, τὰ οἷα δεῖ καθαίρειν, purgentur, ξυμφέρειν καὶ εὐφόρως φέρειν, leviter ferre: ſin contraria difficulter & δυχερῶς ait* : At non in omnibus morbis tenues ſimul peccant cum craſſioribus & vice versâ : neque, qui melancholiam purgando,

An ſucceſſivè ex metu vacui accidat purgatio?

purgando, ſanguinem prius educeret, τὸ quale purgaret : eò quòd ad alios humores, alia quoque requirantur purgantia, quod iterum ſecundùm illum minimè neceſſarium foret:

Ariſtoteles num attingat?

§.10. *Ariſtoteles* maximè etiam occupatus eſt in deſcriptione hujus materiæ, ſed nec ille rem acu tangit.

Hipp. & Galeni ſententia.

§.11. *Hippocratem autem l. de nat. hum. Galenus Comm. ad ejus Aph. 22. ſ. 1. & l. 3. ſimpl. c. 25.* perbellè illuſtrat, dum purgationem fieri ſtatuit, partim *trahente pharmaco,* (hujus autem non manifeſtâ aliquâ, ſed occultâ planè qualitate; & *totius ſubſtantiæ ſimilitudine* ut loquitur *Fern. c. 4. l. 3. meth. med. quæ in ipſâ formâ, utpote præcipuâ & ferè totâ rei compoſitæ ſubſtantiâ, non in accidentibus ut Valleſius l. 9. contr. cap. 1. voluit, neque materiâ aut temperamento latet, ſecundùm Fernel. & doctrinam Avicenn. ſecund. prim. doct. 2. c. 15. & Meſues. l. 1. theorem. 1.*) partim verò *pellente* naturâ, cùm id quod ſibi moleſtum percipit, excutere conatur.

Deſcriptio

§.12. Ut autem clariùs eluceſcat, rem brevibus ita procedere putamus: Medicamentum quàm primum corpus eſt ingreſſum, calor noſter in id ſe erigit altiùs, illùdque aggreditur, verùm cùm ab ipſo ſuperari nequeat, ita, ut concoctionem ſubeat; tacita tamen ejus facultas, ſolutis quaſi vinculis, ſe promit inde, & tenuiores ſui partes ſimili facultate graves, quoquoverſum in omnes corporis partes mittit, quæ ſimul atque humores noxios ſibique familiares affines atque cognatos attigerint, occultâ quâdam vi & proprietate alliciunt illos, & turbando ſeparāt ab iis, qui corpori alendo utiles ſunt, ita, ut cùm ſeorſim conſiſtere incipiant, naturaque ſe inde laceſſitam ſentiat, indignabunda facultatem expultricem ſuſcitet, quæ ſtimulo percepto, medicamentum tandem atque humores ſibi moleſtos exturbat atque expellit:

Per quas vias humores vitioſi ferantur?

§.13. *Per quos verò ductus ſæpe atque vias, tanta materiei copia ad inteſtina feratur. urget.* Apertas, *inquam,* atque conſpicuas cernis plurimas, quibus ab ambitu refluit ad minora primùm, tum ad majora vaſa, inde ad conſuetum corporis emunctorium: ſi nec hæ ſuffecerint, ei quod *Hipp. l. de alim. ait* fide, σύῤῥουν εἶναι τὸ σῶμα καὶ ξύμπνουν confluxile, intro foraſque ſpirabile corpus, *multaque nobis adhuc incognita eſſe quæ naturæ optimè cognita ſunt atq; perſpecta ſec. Gal. l. 6. Epid. quæq; licet ſit* ἀπαίδευτος καὶ οὐ μαθοῦσα *ritè tamen omnia perficit in corpore noſtro,* hæc vias etiam occultas invenit quibus morbos expellit, (*unde*

Syneſius

Syneſius & Plotinus eam veluti magnam agnoſcunt: Zeno artificioſum ignem vocat, quòd habeat quaſi viam quandam & ſectam quam ſequatur: Anaxagoras mentem appellat:) teſtimonio nobis ſint ▽æ. hydropicorum cùm ex abdomine, vel ad veſicam, vel inteſtina feruntur, tumores artuum articulorumque eorum, qui lue ♀ laborant, & ex illitu ☿ij, excitatâ ſalivatione ſolvuntur: hoc, ſi natura proprio præſtat motu, quid non ſperandum cùm adjuta fuerit. Sed

§. 16. Ad *Differentias*, quas vel *ab alijs* Vacuationum ſpeciebus habet, ut *à V. S. differat* quòd in *hâc* non vitioſi humores tantùm, ſed æquabiliter omnes: *in purgatione* verò ex artis præſcripto inſtitutâ, ſolùm humores peccantes, ſurſum vel deorſum idque beneficio cathartici: in *illâ verò per locum* à phlebotomo apertum & conſecutivè tantùm vacuentur: Ab *Exercitatione & Inedia:* quòd utraque per accidens, non quidem trahendo, ſed diſcutiendo humores omnes detrahat, uti frictiones quoque, balnea & inunctiones diaphoreticæ: *Differentia*

§. 17. Vel *inter ſe* & quidem vel ab *Efficiente*, ut alia *Artificioſa* exiſtat, quæ medicamenti purgantis ope perficitur, & propriè Medicatio ſeu φαρμακεία appellatur, de quâ nobis etiam ſermo eſt: Alia *Naturalis* quæ ſponte citra artis ſubſidium à naturâ ſuſcitatur, & vel *Criticè*, cùm à naturâ benè valente atque agente procedit: vel *Symptomaticè*, cùm imbecilliore illâ, ut humores amplius regere nequeat, accidit.

§. 18. Vel à *Subjecto*, ut vel *totum* purgetur corpus, & ex univerſo vel maximâ tamen parte corporis deducatur humor: Vel *ex aliquâ tantùm*, & hâc vel illâ: unde *Univerſalis* conſtituitur atque *Particularis*.

§. 19. Vel à *Fine*, alia quæ noxium quod eſt expurgat *Salubris*, *Inſalubris* alia exiſtat, quæ utilia cum inutilibus ſimul, vel quandoque utilia tantùm educit, noxia relinquit:

Inſtituatur quoque alia vel *revulſionis* gratiâ ut *Gal. l. 4. meth. med. cap. 6. & l. 13. cap. 11. & Comm. ad Aph. 17. Hippocr. ſect. 6.* Vel *Vacuationis* ergò *l. 10. de comp. med. c. 2. Comm. 2. in l. 6. Epid. t. 30.*

§. 20. Vel à *Materiâ*, quæ vel *ſimplicem* ab uno tantùm humore, vel *Compoſitam* à pluribus vel omnibus ſimul, facit:

§. 21. Vel à *Modo* applicandi, quòd alia perficiatur aſſumtis *Ore*, alia *infuſis in anum*, alia *ventri* vel *umbilico* admotis purgantibus.

§. 22. Tandem à *ductibus* ſeu *viis* alia fiat ἄνω, alia κάτω, per apertos & conſpicuos vel cæcos & incognitos nobis ductus.

§. 23. *Purgantia* nobis diſtinguit *Vir plurimùm Reverendus, Nobiliſſimus, Ampliſſimus Dn. D. Melch. Sebizius, Medicus celeberrimus, Experientiſſimus, Patronus & Præceptor noſter ubique Venerandus in ſuo ſpec. med. pract. P. 1. ſ. 1. c. 1. & 3. in* Ἐκκοπρωτικὰ, fæces ex inteſtinis educentia, Practicis aliàs *Lenitiva* & *Lenientia* appellata, eò quod blandè & leniter excrementa evacuent, neque ut alia ex alto trahant: *Benedicta, Mediocria, benigna* & *Minorativa*, quæ clementer ſine magnâ turbatione purgant. Et *Solutiva* ſeu *electivè trahentia*, quæ vehementer & cum moleſtiâ humores peculiares exturbant.

§. 24. Sunt autem ea vel *Simplicia* vel *Compoſita*: & vel *ſolidâ* vel *liquidâ* exhibentur formâ. Et hæ ſunt differentiæ;

Indicans. §. 25. Recto jam movemur pede ad *Indicans*, Κακοχυμίαν ſcil. cujus quidem ſuperiùs pro ratione materiæ jamdum aliqua facta mentio, ita ut ex iis ſatis adhuc ſuperque conſtare putemus, quid illius nomine intellectum velimus, addimus hîc tantùm quòd pro *ſpecie* humoris alia ſit *bilioſa*, ut in tertiana, ictero: *pituitoſa*, alia, ut in quotidiana, λευκοφλεγματία: alia *melancholica*, ut in febri quartana, cancro: alia tandem *ſeroſa*, ut in aſcite, ὑδροκεφάλῳ.

§. 26. Ratione *ſedis*, ſeu loci quem in corpore occupat, alia ſit *Univerſalis*, ut in καχεξίᾳ, lue gallicâ: alia *Particularis* hujus vel illius tantùm, *Fernelio cap. 1. l. 2. meth. med.* regionis, primæ, ſecundæ vel tertiæ.

§. 27. *Numeri*, alia *ſimplex* & ſincera, ut in ictero bilis: alia Mixta ſit, ut in febribus ſpuriis.

§. 28. *Qualitatis* ratione autem alia cum *Fernel. rurſum loco mox citato*, *Mitior* ſit, quum vel ſupervacui ſeu excrementitij humores immodicè accumulati ſunt, vel ſucci in ſanguine non illâ juſtâ naturalique proportione & concordiâ tenentur, ut in homine benè temperato, minùs ſit flavæ bilis, quàm melancholiæ, minùs hujus quàm pituitæ, & pituitæ minùs quàm ſanguinis puri. *Deterior* altera, in quâ ſupervacui & excrementitii humores, vel ſucci tùm primi, tùm ſecundarii à naturali & conveniente ſuâ temperatione in vitium ſunt prolapſi, quod aut ſubſtantiæ aut temperiei quædam corruptio eſt, quorum utrumque vel cum putredine, vel citra illam obtingit.

§. 29. *Quantitatis* alia *levis* exiſtat & exigua, ut in impetigine partis cujusdam, *Mediocris* alia, ut in tertianâ febri exquiſitâ: alia *Magna*, ut in Dyſenteriâ longâ, ſcabie.

Accidat

§.30. Accidat & alia Corpori *Sano*, quod ſenſibiles nondum ſuarum functionum læſiones ſentit: alia *Ægro* quod actu laborat, ut in hydropico, arthritico &c.

§.31. Ex quibus omnibus tamen, non niſi illam quæ effatu digna eſt, & ita quod impurum corruptumque eſt in illâ, naturæ limites tranſcendit, ut arte nullâ emendari, benignumque reddi potuerit, pro Purgationis vero, genuinoque indicante admittimus: Magnitudinem, Vires, ætatem, reliquaque externa ita ab illo excludentes, ut præter magnum aliquod præſidium Magnitudinem indicare: temperamentum autem, ætatem, vires atque regionem, non niſi circumſtantiam morbi inferre & permittentis atque prohibentis utilitatem præbere credamus.

§. 32. Pergimus nunc etiam ad ea, quæ ANTE purgationem conſideranda veniunt, & planum facimus primò, quomodo *in utraque conſtitutione ſanâ & ægrâ Præſervationis* vel *Curationis* ergò ſit inſtituenda purgatio, ſiquidem reperiantur, qui κατὰ τὸ ῥητὸν. *Aphor. illum Hippocr. 36. & 37. ſect. 2.* accipientes: *Sano qui ſunt corpore, purgare, periculoſum eſſe:* omninò in ſanis abſtinere, perhibeant; eò quod *Hippoc. Aph. 36. ſect. 2. in lipothymian incidant, & 16. ſect. 4. convulſiones ſequantur: Galeno l. quos purgare convenit: vertigines atque tormina patiantur, ægreque valde ſuccedat purgatio:* Verùm, cùm Sanitatis maxima ſit latitudo, aſſentimur ipſis, ſi de iis, qui perfectâ fruuntur ſanitate & in *ipsâ τῦ πράγματος φύσει Galen. in μικροτέχνῃ cap. 8. & exquiſitè talis exiſtit,* hæc intelligi contendant, adeò quod ex *ipſius* placito *l. quos p. c.* medicamentum, cùm ſibi obnoxium humorem educere cupiat, neque ipſum reperiat, ſanguinem & carnes colliquet, ex iiſque quod ſuum eſt, eliciat: Non autem, ſi de illo quod ut *Venerandus noſter Nonagenarius Dn. D. Sebizius in Comm. ad art. parv. Galen. loquitur, κατὰ τὴν αἴσθησιν tale eſt*, interpretentur, quod, *licet ab exactâ exquiſitâque illâ ſanitate abſit, quia tamen ſenſibilem actionum ſuarum læſionem non habet, ſanum adhuc dicitur, & Galeno eodem quo ante, niſi evacuatum fuerit, ægrotaturum videtur, unde præveniendum etiam ipſi, datâ potione, ſi humorum corruptelâ morbis capi ſoleat, ſuadet, plurimiſque exemplis, quomodo hâc ratione, multos melancholicos, comitiales, attonitos atque arthriticos affectus curaverit, confirmat. Imò nunquam adeò perfectâ fruimur ſanitate, inquit idem Comm. 1. ad l. Hippocr. de nat. hum. quâ non aliquid colligitur ſuperflui, oſtenditque nullum ſcil. ætatis tempus* *Corpus ſanum*

 eſſe

eſſe nec ætatem quâ aliorum humorum expertem poſſis hominem demonſtrare : Quæ igitur θεραπείας ἕνεκα præſentibus jam morbis rectè facimus, meliora multò erunt, cum incipientibus ipſis προφυλάξεως χάριν, antevertendo adhibebimus: *In ægro corpore*, ſiquidem κακοχυμία affuerit, res clariùs apparet, quod enim corruptum, *Galeno 9. meth. med. cap.* 10. alienum eſt à naturâ, & auferendum ſe dictitat, commodiùs autem, quam purgatione auferri nequit.

Ægrum Corpus

Morbus.

§. 33. Verùm cùm in omni, ubi κακοχυμία præſens, morbo, purgandum eſſe conſtet ex jam dictis, diſpiciendum porrò ſequitur, quid inter illos, qui neglecto illo indicante, indicatum etiam exulare volunt, ſtatuendum ſit, veluti ſunt, qui in cholerâ utrâque vel ſicca, vel humidâ, Colicâ item & Dyſenteriâ &c. purgationem nuſpiam admittunt: Ut autem quid hac de re ſentiamus, quàm breviſſimè proferamus in apertum, dicimus

An in Dyſenteriâ, Colicâ &c purgare deceat?

Quòd ubicunque fuerit tale indicans, κακοχυμία ſc. ibi neceſſariò indicatum, locum etiam habere debeat nempe purgatio.

Atqui in affectibus prædictis, adeſt κακοχυμία quæ aliis etiam remediorum generibus minimè cedit, & meliùs atque perfectius, quàm purgatione eradicari nequit. E.

§. 34. *Sed in morbis iterum malignis eorumq; curatione*, cùm alios catharticis ſuis occupatos videmus, nefariè omninò, & tam contra naturæ ordinem, quàm *Hippocr. præſcriptum Aph.* 21. *ſect.* 1. illud fieri arbitramur, licet, ubi mox ab hauſto aliquo veneno ſed quod ſe nondum totos diffudit in artus, vomitione ad rejectionem illius maximè probemus, & illa, quæ tempore peſtis, προφυλάξεως ergò, in κακοχύμοις inſtituitur purgatio, optimè quoque fiat, experientia teſte, quæ illos qui ſanitati ſtudent, debitèque utuntur 6. rebus non naturalibus, non adeò, ut tenuioris fortunæ homines, obnoxios eſſe facilè ipſius tyrannidi, docet: Quo ſcil. præſervationis nomine ipſam etiam *in doloribus, curatione vulnerum, ulcerum, oſſium, fracturarum, & inflammationibus viſcerum, licet per accidens*, & quatenus humores qui parti dolenti affluunt, revellit tantùm atque tollit, admittere poſſumus.

An in morbis malignis purgare liceat?

An in doloribus &c?

§. 35. *Humores* deinde & τὰ οἷα δεῖ καθαίρειν, ſi antequàm medicamentum propinemus, conſideraverimus, obvenit vel *Quantitas* illius qui redundat, quæ vel ſemel, ſi pauca fuerit, concocta, unoque loco contenta, viribusque accidat robuſtis, evacuanda, vel

Humores.

vel ubi copioſior fuerit, virtusque langueat, partitis vicibus educenda. Vel *Species* ejus qui peccat humoris, ut cum *Hip. l. de med. purg. & Gal.* paſſim, bilioſis dare, quod bilem ducit, pituitoſis, quod pituitam, melancholicis quod bilem atram, hydropicis, quod aquam vacuet, applicare ſciamus. Vel etiam *Qualitas* ut extra neceſſitatis caſum, dura quæ ſunt, vel emolliamus priùs, vel incidamus lenta, viſcida detergamus, & quæ craſſa ſunt, attenuemus, acrimoniam etiam & fervorem ſeroſorum bilioſorumque humorum mitigemus vel contemperemus atque obtundamus, omnia eò dirigentes tantùm, ut fluxilia fiant quæ educere oportet, *ſec. Hip. A. 9. ſ. 2.* niſi enim hoc fecerimus vel in felix, vel nulla prorſus ſuccedet purgatio, prout omnes affirmant Practici & *Gal. Comm ad dictum Aph.* teſtatur. In hoc tantûm lis eſt, cum *Avicennâ*, quod contra finem fluiditatis, quam ad faciliorem eductionem intendunt *illi* ſeroſos *hic* atque bilioſos humores incraſſare doceat *l. 4. Can. ſen. 1. tract. 2. c. 7.* Verùm cùm eò expeditiùs educatur, quò mobilior exiſtit humor, & vulgo etiam notum ſit, craſſiora difficiliùs, faciliùs tenuiora moveri, præparationem quidem, ſed non item incraſſationem nos admittimus.

An ſimul & ſemel vel partitis vicibus purgandi?

§. 36. Et ad *Tempus* nunc progreſſum paucis facimus, cujus quidem conſideratio non ita planè, ut nonnulli voluere, de nihilo eſt, ſed maximè neceſſaria, & *ab Hip. A. 1. ſ. 1.* ſub vocabulo καιροῦ & *A. 22. ſ. 1.* ſatis ſuperque indicata. *Heurnius Comm. ad A. 1. ſ. 1. Animam vocat curationis, & Pindarus πυθ. δ. inter laudes quas τῷ ἰατρῷ tribuit,* ἐπικαιρότατον *etiam* illum appellat, Eſt autem Tempus, quod conſiderandum vel *ANNI*: hoc iterum vel *Generale*: ut θεραπείας ἕνεκα, nullum quidem intermittamus, ſi neceſſitas urgeat, ſiquidem hyberno tempore, cùm quis graviter decumberet, purgationemque Medicus ad vernum usque tempus differre vellet, mori intereà poſſet laborans: προφυλάξεως tamen gratiâ delectus habeatur & quidem *Veris, utpote accommodatiſſimi ſec. Hip. S. 6. A. 47.* ad purgationem temporis, eò quòd natura eo tempore non modò robuſtior propter ſanguinis, calorisque abundantiam exiſtat, ſed Ver ipſum etiam *maximè temperatum & ſaluberrimum A. 9. S. 3.* dicatur: deinde *Autumni Gal. in Comm. ſuper eosdem & l. quos p. c.* ab initio: propterea quòd in eo humores nondum adeò tenaciter inhæreant partibus, ut in hyeme, neque calor ſpiritusq; ita ut in æſtate diſſipentur, meatus

Tempus.

ANNI.

 deni-

deniqueliberiores etiam ſint, magisqne pateant, quàm tempore brumæ: Vel *Speciale* ut auſtrinam potiùs liberæ & electivæ purgationi ſeligamus diem benevolisque ſyderum aſpectibus ſalutarem, quàm aquiloniam & adverſam radiationibus: *Hip. l. de aere. aq. & loc. ſolſtitium inprimis æſtivum periculoſiſſmum eſſe* monet & *Joh. Ant. Maginus de legit. uſu Aſtrol. in med. cap. 26.* ubi plura: Colligimus hîc, quid ad illud *A. 5. ſ. 4. Hip. ſub Caniculâ & ante Caniculam difficiles eſſe purgationes*, item *an hyberno tempore prorſus non purgare liceat*, reſpondendum ſit, ſiquidem dum præſervationis gratia nulla urgente neceſſitate fiat, concedamus: negemus verò, ſi de illâ quæ ϑεραπείας ergò inſtituitur, ſermo ſit.

An æſtivo hybernoque tẽpore prorſus non purgare liceat?

Tempus Morbi

§. 37. Eſt deinde Tempus *MORBI* quod vel *Univerſale* rurſum & *Principium, Augmentum, ſtatum* & *Declinationem* includit, totiusq; hiſtoriam abſolvit, vel *Particulare, Die* & *Hora* definitum: Sed tot hîc iterũ ſe produnt litigia, quot temporum ſunt differentiæ: Licet enim *quovis tempore humores quatenus vitioſi ſunt atq; corrupti, ſui ablationem indicent, non omni tamen apti ſunt ad purgationem, & ſæpe aliis etiam modis nocere poſſunt, Clariſſ. inquit Senn. l. 5. Inſt. p. 2. ſ. 1. c. 6.* ideoque aptiſſimum inter *Univerſalia* nos *Statum* ponimus & *Declinationem*, in quibus *ſc. concocti ſunt* & ad evacuandum parati *humores, quos* etiam *ita medicari jubet Hip. ſ. 1. A. 22. non crudos, neque per initia*: Verùm cùm *ſtatûs* pariter atque *declinationis* aliqua iterum ſit diverſitas in *initio, medio* & *fine*, in *principio declinationis*, & *fine ſtatûs* adminiſtrari debere notamus purgationem artificioſam, niſi Criticè jam ante facta fuerit à naturâ, vel inſufficienter, *ut recidivam præveniamus Hip. ſ. 2. A. 12*

§. 38. *Ingenioſiſſimus Fern. noſter l. 3. meth. med. c. 12.* opportunum purgandi tempus *ex* humoris *ſpecie & ſitu, atque etiam morbi vehementiâ* præſcribendum eſſe docet, ita, ut cùm *κακοχυμία in primâ hæſerit corporis* regione, primo quoque tempore expurganda ſit, præſertim quòd viæ ſint ad illam breviores atque expeditiores vitioſusque humor impetu quodam plerumque ſponte ſuâ moveatur ad alvum: *Sin autem in ſecundâ fuerit coërcita regione*, morbusque acutus extiterit, *neque tamen lethalis*, ut inducias patiatur, expectandam eſſe concoctionem, firmiterque credendum, ſtatum aut veriùs initium declinationis accommodatiſſimum perfectæ purgationis tempus eſſe, materiâ ſc. tùm perfectè concoctâ, fluidâ factâ, & à reliquâ puriore ſecretâ, naturâ quoque ad expelleudum

eò me-

eò meliùs inſtructâ : Cùm itaque ſtatûs vehemeniâ miteſcente, nulla ſuccedat vacuatio decretoria, *nobis movendam eſſe* ex *Hip. A.27. ſ.2. ſi natura & perfectè quidem judicaverit*, quieſcendum; iterum *ex Hip. A. 20. ſ.1 Quæ judicantur & judicata ſunt perfectè, non movenda eſſe, ſive medicamentis ſive aliis irritamentis, ſed ſinenda* : Sin *imperfectæ* verò *Criſeos* ſuſpicio ſubſit, medicamento quoque detrahendum eſſe. Nam *quæ relinquuntur recidivos morbos facere conſueviſſe Hip. A.12. ſ.2.*

§.39. Quum verò *morbus acutus* anceps fuerit atque gravis, *metusque* impendeat, ne aut deterior evadat, aut laborantem ante ſtatum jugulet, crudæ etiamnum materiæ nonnihil purgatione demendum eſſe ante Concoctionem, *maximè ſi turgeat*, uti docet *Hip. A.6. 22. & 24. ſ. 1. & 29. ſ. 2. 10. item ſ. 4. vel tantâ luxuriet copiâ*, ut niſi aliquid detrahatur ante concoctionem, naturam ſuccumbere neceſſe ſit. *Gal. ad A. 29. ſ. 2. & l. 11. meth. med. c. 15. vel oberrans fluctuet*, fluat, refluatque ad partes principes, quemadmodum in inflãmationibus, aliisque tumoribus, doloribus, ulceribus atque vulneribus *Gal. etiam l. de cur. rat. per S. miſſ. c. 8. l. 4. meth. med. c. 6. & 5. c. & l. 1. c. 15. & l. 13. c. 6.* alibique præcipit; vel tandem ubi *venenum aliquod* hauſtum fuerit, uti ſuperius fuit explanatum.

§.40. In *Augmento* morbi periculoſiſſima eſt omnium purgatio, eò quod natura non modò ab opere ſuo avocetur, poſtquàm humores morbificos aggreſſa, illos coquere cœpit, ſed etiam invaleſcente morbo invaleſcant & ſymptomata, quæ irritâ purgatione magis adhuc magisque aggravantur, eſt E. juvanda potiùs natura, imitanda & in opere ſuo firmanda.

§.41. *Tempus particulare* & quidem *Dies* in *Curatione* eligatur is, quo morbus mitior eſt & remiſſior, impetumque faciliùs ferre poſſunt vires robuſtiores, neque in paroxyſmis eorum affectuum qui circuitus habent inſtituatur *Gal. in Introd. c. de cur. per med. diviſ.* In illis enim *Comm. 3. in l. 1. Epid. 4. 13.* dicit, *Criſes plerunque accidere* : at ſi natura molitur vacuationem, non eſt impedienda, abſolutâ tamen die Criticâ, ſi *ſigna* concoctionis adſint, *nihilque* fuerit egeſtum, vel inſufficienter, offerendum eſt pharmacum, & quod defecit, arte ſupplendum eſt : *Dies.*

§.42. *Hora* tam in *Curatione* quàm *Præſervatione* convenientiſſima ſemper exiſtit *matutina*, ſi morbus permittat, eſt enim eo tempore ventriculus à cibis vacuus, natura à præcedente ſomno alacrior, & vires ſunt robuſtiores : ſecus autem & vel in, ante vel poſt *Hora.*

pran-

prandium cœnamque quæ mox exhibentur cathartica, concoctionem alimentorum vel impediunt, labefactant atque turbant vel ipſa aliquam purgandi vim ab admiſtione cibi potusque deperdunt ac proinde intempeſtiva ſunt.

Vires §. 43. *Vires* autem cùm purgare volumus diligentiſſimè ſunt ſpectandæ, ſiquidem imbecillæ purgationem præſertim validiorem minimè ferant, neque etiam temerè tentandæ ſint, robuſtiores contra faciliùs permittant. *Galenus. l. med. meth. 9. c. 10. illas conſervare nihil eſſe aliud docet quàm vitam conſervare*, non E. ad animi deliquiũ uſq; quod à vacuatione accidat, purgare licet, cùm plerunque *ſyncope etiam convulſionesque, lethalia Hip. ſigna A. 1. & 4. ſ. 5.* superveniant, neque tùm in noſtrà ampliùs poteſtate ſitum ſit cohibere purgationem, uti ſanguinem in V. S. ſi λειποϑυμίας metus fuerit, *quod enim ſemel in ventrem ingeſtum eſt pharmacum inquit Gal. l. de cur rat. per S. M. c. 12. quò minus totum ſit aſſumtum fieri non poteſt, nec licet, ubi plus æquo jam homo purgatur, partem ejus, quod eſt oblatum, auſſerre.*

An ad animi deliquium purgare liceat?

Ætas §. 44. Inter *ætates*, de *Puerili* atq; *Senili* maxima quidem controverſia agitur, ſed nos inter gradus puerorum & *purgantia* diſtinguentes dicimus, illos, qui in primo ſecundoque pueritiæ gradu conſtituti ſunt, ægriùs quidem, ſed non abs ratione, ſi opus ſit, purgari, ſed *blandis lenientibus non ſolutivis atque electivè* trahentibus, præſervationis gratiâ verò minimè aſſuefaciendos eſſe purgationibus, tenerum enim molle humidumque cùm exiſtat ipſorum corpus, meatus habeant patentes atque laxos, per quos illud, quod collectum eſt forſan vitioſi, à calore quo abundant plurimùm nativo *A. 4. ſ. 1.* facilè expellatur, vomant inſuper frequenter, ventrisque dejectiones patiantur crebras, vacuatione tali opus habere non videntur, nam quos natura ſpontè ſanat, fruſtra Medicina fatigat: In *Senili* ſtatu res eodem ferè recedit, nam licet ob inopiam caloris atque ſpirituum, ſiccitatemque corporis inepti planè videri poſſint *ſenes* & decrepiti, benigniora tamen adhuc ferunt, licet à vehementioribus exolvantur.

Sexus §. 45. Sic & in *Sexu Gravidarum* quoque eſt habenda ratio, ne vel quibusvis illas medicamentis, ut *nonnulli:* vel nullis omninò, velut *alij*, ſed cum delectu, *lenitivis tantùm atq; blandis* & maximâ adhibitâ circumſpectione purgemus, tempus ad id impræ gnationis virtutem, atque morbum, optimè diſcernentes, ut vel primis, de-

licatulo

licatulo adhuc exiſtente fœtu, vinculisque ejus parùm robuſtis: vel ultimis, grandiore illo, graviore atque partui vicino, tam facilè atque mediis imprægnationis menſibus non offeramus purgans, niſi *morbus urgeat, turgeat materia, vires utem in omnibus conſtent*; ſic docente *Hip. A.* 1. *ſ.* 4. & *Gal. in Comm. Cornel. Celſus eloquentiſſimus Latinorum* ait, & *validum puerum & validam prægnantem mulierem, & robuſtum ſenem ſang. miſſionem atque Purgationem facilè* tolerare, confirmat idem experientia, quæ quotidie plures abſque detrimento & maximo cum ſucceſſu, quas κακοχυμία incommodavit ante, purgari gravidas oſtendit.

§. 46. *Conſuetudo* autem facit, ut *aliis etiam qui aſſueti ſunt purgationibus* libentiùs, minùs autem qui nunquam purgati fuêre, concedamus atque iis, qui per vomitum, vel per alvum potiùs purgari conſueverunt. nihil mutemus facilè, ne cùm natura ἄνω tendit, nos κάτω moveamus, & vice versâ, contrariosque ita ipſi cieamus motus: Atqui non adjutoris tantùm, ſed & imitatoris naturæ vicem Medicus obſervare debet. *Conſuetudo.*

§. 47. In *Temperamento* obſervamus, quòd qui calido ſunt atque humido, largiorem multò patiantur vacuationem, quàm quibus ſiccum datum eſt, vel frigidum, ideò quod *illis* principia ſint firmiora atque calidiora, *horum* corpora ex purgatione incaleſcant facilè, & exſiccentur, præſertim ſi paulò longiùs extenſa fuerit purgatio: diſſipantur etiam ſpiritus, quos figidi præprimis paucos habent atque languentes.

§. 48. Tantum autem expedit *temperamenti proprietatem, particularemq; cujusvis naturam* explorare probè, quantum vel alter, licet mitioribus copioſiſſimè, vel fortioribus alius, & ne vix quidem movetur, at maximè cavere debemus, ne vel in diſcrimen periculumque vitæ conjiciamus ægrotantem, quemadmodum *Hip. l. de med. purg.* loquitur, turpem eſſe calamitatem, medicamento purgante, hominem è medio tollere: vel etiam illa quæ multis fuêre ſaluti, proſtituamus, ut inutiliter admota, infamentur, *Gal. l.* 11. *meth. med. c.* 9. *Temperamenti proprietas?*

§. 49. *Ex iis etiam* quorum *habitus corporis* ἔυσαρκ☉ eſt, carnoſus, denſus atque firmus, tutiùs purgantur, & qui mediocriter graciles exiſtunt, cum amplitudine venarum, *quàm qui molli præditi ſunt, laxo atque tenui* emaciati ſunt atque graciles, item pingues & obeſi: *Habitus corporis?*

C debiles

debiles enim cùm exiſtant rarioris texturæ homines, & ex ſe promtè diffluant, *pingues* quoque ſint frigidiores, ſpiritus habeant pauciores, vaſaque anguſtiora, non ita commodè, aut ſi propter morbum neceſſaria fuerit, minorem certè tantùm tolerant vacuationem.

Victus ratio. §. 50. Non autem negligenda quoque *eſt præcedens victus ratio*, nam ultrò quòd humorem in corpore genitum oſtendat, *Gal. l. quos purgare conven. & Comm. ad A. 24. ſ. 1. eos, qui cruditate laborant multâ, tenacibus & craſſis veſci conſueverunt cibis, extenſa habent atque inflata præcordia &c. ad purgationem ineptos omnes, ideòque dimittendos eſſe* ſcribit, *quòd humores ad fluendum paratos eſſe conveniat, hoc eſt tenues minusque* tenaces, meatus quoque per quos trajicientur, apertos; confirmat idem *A. Hip. 36. S. 2. Qui pravo utuntur victu, iị dum purgantur, ſtatim exolvuntur,* non quòd κακοχυμία non ſit ex corpore exturbanda, ſed per ἐπίκρασιν ut *Gal. l. 9. meth. med. c. 11.* loquitur, curatio potiùs inſtituenda, ne cùm validiùs moverentur, incidant in animi forſan deliquium, aliaque incurrant ſymptomata.

Via. §. 51. *Viæ* E. ſunt parandæ priùs, & foramina per quæ purgatio fieri debet, etiam aperienda, ut nullam obſtructionem, remoramque inveniat educendus humor: *Fernel. l. 3. meth. med. c. 13. Ventriculum* humorum copiâ minimè vult nauſeabundum, ne pharmacum averſetur, aut mox revomat, *inteſtina* verò neque coarctata vel obſtructa, ut curſum impediant, & *venas meſenterij* atque viſcera libera nec impedita.

Regio. §. 52. De *Regione* idem notandum videtur, quod de *temporibus anni*, quemadmodum enim in ferventiſſimâ æſtatis parte temerè nunquam eſt purgandum, ſic quoque easdem ob cauſas in Regionibus ſupra modum calidis, aut nulla, aut rara, aut lenis debet eſſe purgatio, audaciùs verò inſtituenda in temperatioribus, & ubi non extremum etiam dominatur frigus.

§. 53. Atque hæc ſunt quæ *Galenus* paſſim totiesque ut ANTE conſideranda nobis inculcat. *Supereſt* tantùm, ut & aliquid de *Loco per quem purgatio fieri debet,* atque etiam *Medicamento* pauca faciamus verba:

Locus per quam? §. 54. Ad *Locum* autem jubet *Hip. A. 4. ſ. 4.* Æſtate per ſuperiora potiùs, hyeme verò per inferiora purgare: ſpecialius adhuc *A. 17. ejusdem.* non febricitanti, cibi faſtidium, cordis morſum, vertiginem

tiginem tenebricoſam, oriſque amaritudinem, purgatione per ſuperna opus eſſe, ſignificare dicit: *A.* 49. *ſ.* 4. Melancholicos vult per inferiora evacuari, graciles verò & facilè vomentes per ſuperior & 6. *S.* 7. Carnoſos & difficulter *vomentes* per inferiora: *A.* 8. *ſect.* 4. Tabidis purgationes ſuperiores, malas pronunciat. *A.* 18. *ſ.* 4. Dolores ſupra ſeptum transverſum, quos purgare convenit, ſurſum qui a. infra illud ſubſiſtunt, deorſum purgandos eſſe monet, & 20. infernam requiri purgationem, ſi citra febrim adſint tormina, & genuum gravitas, & dolor lumborum: atque iterum *S.* 1. 21. quæ educere oportet quò maximè vergunt, eò ducenda eſſe per loca convenientia, ſcribit:

§. 55. Verùm cùm non omnibus ad intellectum hæc ſufficiant, *Gal. Comm. ad. A.* 21. *ſ.* 1. & 4. 9. *ſ.* 4. & *l.* 13. *meth. med. c.* 11. uberiùs de his & prolixè agit. *L. Introd. c.d.cur. diviſ.per medic.* ait, Per ſuperiora purgationem convenire morbis longis, inferiori parte adhibitas, acutis. *Fern. l.* 3. *meth. med. c.* 9. clariùs indicationem viæ purgationis, ad ſedé vitioſi humoris, motumque naturæ ſ. inclinationem refert, perſpectâ ſede, *inquit*, in promtu ſunt ductus omnes, qui ex eâ, aut per ventriculum, aut per alvum, aut per aliud quodvis emiſſarium foràs pertinent, per quos ſc. natura libera nec impedita, vitia ſua expurgare conſuevit: *Senn. c.* 9. *L.* 5. *p.* 2. *ſ.* 1. Locum per quem inſtituenda ſit purgatio, ſubſiſtentiam ſ. vergentiam humoris, vel locum quem occupat, aut occupaturus eſt humor evacuandus, monſtrare docet, ita ut per Eum, per quem & ratione loci, in quo ſubſiſtit, & ſuæ naturæ aptus eſt evacuari, evacuetur:

§. 56. Omnium autem clariſſimè rem explicat & abſolvit, plurimùm Venerandus noſter Senex Dn. D. Sebizius Patronus atque Præceptor noſter ætatèm obſervandus *Diſp.* 5. *de Purg.* ajens: *Subſiſtentiam Sedem & Locum* humoris evacuandi, *Viam vacuationis* monſtrare: *Inclinationem ſ. motum naturæ*, ſi ipſa per ſe ipſam vacuare incipiat, eandem *confirmare*: *Partem* autem per quam fit vacuatio *iter* vacuationis aut *permittere*, aut *prohibere*: *permittere*, ſi ſit ex albo ξυμφερόντων χρείων: *prohibere*, ſi via ſit inſolita, aut minùs apta atque accommodata.

§. 57. Convenientia autem *Fernelio loc. cit.* exiſtunt loca, cùm ventriculus & præcordiorum ſummæ partes expurgantur vomitione: inteſtina maximè craſſa, alvi profuſione; renes & veſica per

meatus urinarios, uterus per propriam cervicem : cerebrum per palatum ac nares, pulmo atque thorax per arteriam aſperam : corporis ſumma, per cutem halitu & ſudore: Inepta verò fiunt, ſi fortè purgationis vias morbus intercipiat : tunc enim aliò convertendus motus eſt, quia nunquàm humor noxius in affectam ſedem temerè eſt derivandus, niſi naturâ duce, quæ nihil perturbatè, nihil niſi utiliter gerit, eò tanquam ad conſuetos convenientesque feratur ductus.

Medicamentum. §. 58. *Medicamentum* ipſum quod attinet, differentia humorum, ipſius etiam ſpeciem conſtituit, uſus jam diſtinxit ita, ut pro numero humorum, totidem etiam medicamentorũ notentur genera: bili opponantur χολαγωγὰ, pituitæ φλεγμαγωγὰ : atræ bili μελαναγωγὰ : ſero ὑδραγωγὰ : pro ſitu tamen humoris eligantur vel validiora, vel imbecilliora, ut, cùm è prima tantùm corporis regione educere animus ſit, mitiora : mediocria è vaſis majoribus : Valentiora cùm ex habitu corporis detrahendum, exhibeantur, habitâ tamen ſemper ratione ad qualitatem in caliditate, frigiditate &c. pro reſpectu morbi, ætatis, aëris ambientis atque temperaturæ laborantis.

Doſis §. 59. Tò *Quantum* præcipuè nobis offert humoris *quantitas* atque copia, quæ vel ſemel ſi pauca ſit, viresque validæ : vel ſenſim & partitis vicibus, ſi vel copioſior, aut debilis exiſtat virtus, expurganda, paulatim enim quod fit, tutum eſſe dicit *Hip. A.* 51. *ſ.* 2. & periculoſum contra, vacuare plurimùm & repentè, & *A.* 3. *ſ.* 1. omnes evacuationes im̃oderatas, periculoſas eſſe proclamat, omne ſiquidem nimium naturæ inimicum. vel *Qualitas* ejus : veluti craſſus, lentus atque glutinoſus, qui ductibus obhæreſcens & fixus quaſi ſubſiſtit, in viâ, majorem quàm ille requirit vim, qui facilè ſequitur. Inſervit quoque Corporis *conditio* in temperamento, habitu, ſtructurâ, conſuetudine, ætate, ſexu : tandem etiam *Cæli* ſtatus, ex regione, anni tempore & tempeſtate, uti fuſiùs *Fern. l.* 3. *meth. med. c.* 10. docet.

§. 59. *Minori* namque *doſi*, imbecilliorique medicamento opus eſſe ſignificant, Corpus humidum, molle, rarum, laxum, quale mulierum eſt, puerorum, otio diffluentium & eorum, qui vel naturâ, vel morbo, vel vivendi ratione delicatiores evaſerunt, & quibus ex conſuetudine alvus eſt liquida, vires imbecillæ, ætas pueri-

lis

lis, exquiſitior partium ſenſus, humores tenues, copioſi, in primâ corporis regione ſiti, conſtitutiones auſtrinæ, regiones calidæ & humidæ, quæ alvum ſolvunt laxant & humectant.

§. 61. *Majorem* econtra *quantitatem*, validiusque medicamentum indicant, corpus ſiccum, robuſtum, obſtructum, purgationibus aſſuetum, humoribus craſſis glutinoſisque refertum, vires robuſtæ, ætas juvenilis, ſexus virilis, ſenſus obtuſior, hyems, regio frigida & tempeſtas aquilonia, quæ corpora compingunt, ventresque reſiccant *Hip. A.* 17. *ſ.* 3.

§. 62. De *Forma* autem maximè quandoque anxios audimus delicatulos patientes, ita ut alii pilulas deglutire nequeant, alii potiunculas exhaurire recuſent, delectentur alii tabulis, alii pulveribus, alii bolis: alii alias expetant formulas, ut rectè Poëtæ illud *Forma.*

Mille hominem ſpecies, & rerum diſcolor uſus
Velle ſuum cuiq; eſt, nec voto vivitur uno.

Ideoq; diligens ejus etiam eſt habenda ratio, eoq; magis, quantum & aliæ formæ tam ad partem affectam, quàm morbum ſæpiùs ſint accommodatiores. Sic, cùm ex alto trahendum, ſolida: ex viciniâ verò liquida, præſtent: iterum ubi citâ operatione, abſterſione, & reſeratione opus eſt, potiones magis quàm pilulæ ex uſu ſint.

§. 63. Sed neque formulas ſolùm noſſe ſufficit, conſiderandum quoque an ſimplex vel compoſitum, &c. ſit offerendum pharmacum: Nam *Galenus ſcelus eſſe* ſcribit, *compoſitis uti, ubi ſimplicia ſatis emolumenti afferunt*, & Plato, *Medicinam, quo eſt ſimplicior, eò meliorem eſſe dicit*: ideoque ut ſciamus hoc, indicationes deſumendæ ſunt vel à pluralitate humorum, qui quandoque peccant, quibus expurgandis neceſſariò facultates medicamentorum combinantur, *vel à* ſede *κακοχυμίας*, quæ ſi longiùs à remediis diſſita eſt, ratione partium roborantia: vel etiam attenuantia, ut eò penetrent, requirit: *vel* à medicamenti malignitate, ut corrigentia: vel ſtimulantia ſi ignavius fuerit, addantur:

§. 64. Hoc ad minimum omnibus eſt in confeſſo, ægrotantes hujus ſeculi ita ſæpe averſari ſimplicia, ut vel cuique aut in ſapore, aut in colore, aut in odore, vel etiam minori quantitate conciliandа ſit aliqua jucunditas, ita ut hinc aliud magis, aliud minus fiat, compoſitum, quibus tamen explicandis nos hic ſuperſedemus.

 §. 65. Pro-

IN purg. §. 65. Progreſſum facientes lubentiùs, ut ea quæ poſt aſſumtionem medicamenti IN purgatione ponderanda ſint, paucis etiam ediſſeramus.

§. 66. Accidit autem præſertim iis, qui imbecillum obtinent ventriculum & nauſeabundum, ut percepto pharmaci ſapore, vomitionem vix coërcere poſſint, idcircò, ſtatim ab aſſumto, colluendum ipſis, vel ſuave aliquid in ore detinendum videtur, vel etiam ſi per halitus deinde moleſtiam creare velit, validâ expiratione, diductis illi buccis diſſipandi.

§. 67. Interea in quiete continendum corpus, dum ad univerſas vis illius partes pertingat, vel etiam aliquantiſper ſuperdormiendum, ſi inexpugnabilis dormiendi premat neceſſitas, vires debiles fuerint atque imbecillæ, validius quoque extiterit purgans, & ſolidum, donec in actum incipiat deduci:

§. 68. Cùm primùm autem in actum id prorumpit, vigilandum penitus eſt, dùm effectum omnem compleverit. *Fernel. c.* 14. *l. meth. med.* 3. nam arctione ſomno purgationis opus ſubſiſtit, *Hip. A.*14. *&* 15. *ſ.* 4. brevis E. non longus, ubi forte non debile eſt aſſumtum pharmacum, prodeſt ſomnus, poſtea ſurgendum, corpusque movere decet, deambulando in conclavi, maximè ſi ſegniùs exerceat. *idem d. in loco.*

§. 69. Sed cùm immodicè, vel ex malignitate, vel nimiâ quantitate purgantis, vel quòd æger facile mobilis fuerit &c. purget, ita ut ὑπερκαθάρσεως, vel aliorum ſymptomatū metus immineat, per *Hip.* 1. *&* 4. *ſect.* 5. maturè proſpiciendum, & quàm primum 14. *&* 15. *A. ſ.* 5. ſomno tradendus eſt iterum æger; urgente vehementiùs malo, frictionibus & vinculis dolorificis revellendi ſunt humores ad alias partes, emplaſtra, unguenta, olea, catapl. exteriùs, & interiùs, adſtringentia alia offerenda ſunt.

§. 70. Contra, ſi planè fine ſuo fruſtrari videatur purgans, ut vel tormina tantùm, vel alia excitaverit ſymptomata, brodiis, injecto clyſmate, vel ſuppoſitorio promovendum, at ſi nec his cedat, reiterandum poſtero, tertio vel quarto die, niſi neceſſitas priùs urgeat, nullasque morbus patiatur inducias.

§. 71. Detinendus autem æger dum purgatur in loco temperato, neque facilè aperto aëri ipſe ſe exponat; ſicut enim concitati

tati jam humores, æſtûs injuriâ aut rapiuntur in cutem, aut nimiùm efferveſcunt, ſic frigore torpeſcunt, & denſatis, coarctatisque viis ignaviter exeunt, *abſolutâ* ferè purgatione detergens quædam ſorbitio, quæ medicamenti reliquias eluat, & quò decet, impellat, ſimulque ventriculi interiora oblinens, omnem medicamenti qualitatem tædiaque demulceat, eſt exhibenda, uti loquitur *Fernel. 3. meth. med. cap.* 14.

§. 71. Offerunt autem in hunc finem Practicorum multi decoctum piſorum ſine ſale, pane atque butyro, verùm quàm rectè, non ille neſcit, qui parùm ex ſcriptoribus piſorum didicit naturam, rectiùs in ejus locum eligitur jus cicerum vel cremor ptiſanæ cum *Hippocr. l. de vict. rat. in morb. ac.* eò quod uti *Galenus* interpretatur, abſtergere & inferiùs trahere poteſt id, quod tranſeundo ſe meatibus implicuit, & temperare atque immutare medicamenti qualitatem, quæ membris inſedit. *l. quos purg. conv. & Comm. ad libr. de vict. rat. Hippocr.*

§. 72. *POST,* cùm medicamentum ſuo ita perfunctum eſt munere, & jam è ventriculo excidit ,] ut nullus ejus odor, nullus ructus, nulla nauſea amplius ſubſit, alimento corpus boni ſucci facilisque digeſtionis eſt paſcendum, neque verò priùs offerendum, niſi os ventriculi naturâ admodum ſenſile ac imbecillum, purgantis acrimoniam ſuſtinere nequiverit, corrumpitur enim inquit *Fernel.* permiſtione medicamenti cibus.

§. 73. Non autem copioſus ſtatim ſit, ſed ut conſueto minor deinde liberaliùs perpetuò exhibeatur, præcipit *Hippocr. l. de vict. rat. in morb. acut. Galenus in Comm.* rationem hanc addit, Corporum quæ expurgata ſunt, natura expurgatione agitata, labefactaque, tolerare alimoniam non poteſt, neque probè eam conficere, niſi omninò pauca fuerit, tantum igitur purgatis primâ die exhibendum, quantum domare poſſint, deinde paulatim ſenſimque adaugere oportet, ſi nihil aliud prohibuerit.

§. 74. Bonam autem perfectam atque utilem fuiſſe tandem, ne hoc etiam ſuperſit, cognoſcimus purgationem, ſi talia purgata, qualia oportuit purgari, faciléque tulerit æger, ſubſequente εὐφορίᾳ & bonâ tolerantia, ſitis etiam denique oborta fuerit, quam vacuatio pepererit, *ad doctr. Hippocr. Aph.* 19. *ſect.* 4. & 2. 22. 25.

23. 25. *ſ.* 1. 2. *&* 3. *ſ.* 4. *Et* Galeni *Comm. ad eosdem.* Avicennæ item *l.* 1. *Canon. fen.* 4. *doctr.* 5. *cap.* 4. *&* 6.

§. 75. *Fernelius l.* 3. *meth. med. cap.* 15. Utilem, *in Obſcuram* dividit, *Manifeſtam* atque *Perfectam* : *Jllam* dicit eſſe, quæ exiguam admodum peccantis humoris portionem detrahit, & ægrotantem nondum manifeſtò levat: *Manifeſtam*, quæ inſignem humoris portionem exturbat, ut illâ detractâ multò alacrior appareat æger. *Perfectam* verò, quæ nihil illius reliquum facit, & ægrotantem vel ab omnibus, vel præcipuis quibus affligebatur, ſymptomatibus prorſus liberat: *Inutilem* contra ſtatuit, quæ humorem noxium vel planè non, vel in minimâ quantitate tantùm detrahit, ægrumque non ſolùm non levat, ſed & in graviora forſan pericula conjicit.

Atque hæc ſint, Amice Lector, quæ per temporis injuriam præcipitato prorſus calamo de materia hac colligere mihi licuit generaliora; Si quæ ſint, quæ ob incuriam remanſerint minùs benè diſtincta, brevitate temporis excuſa, DEO interim Triuni, qui ſtudia & labores ſecundare in poſterum pergat, pro conceſsâ largiter hucusque gratiâ, ſit Laus & Gloria in ſempiterna ſecula.